

rius posuit: & hoc non est novum, nec Christo proprium; neque per eum redemptio fieri potuisset, nec ipse esset verus Deus, sed per participationem, sicut alii sancti. Unde simpliciter est concedendum, in Christo esse unam personam.

Ad primum ergo dicendum, quod humana natura in Christo non est sine personalitate; sed est in persona una Verbi cum natura divina.

Ad secundum dicendum, quod ex hoc natura Christi maxime nobilis est quod est in persona divina.

Ad tertium dicendum, quod de ratione personæ est quod comprehendat omnia essentialia, & proprietates individuantes simul conjunctorum: unde non sequitur quod si sint duæ naturæ, & diversæ proprietates, sint diversæ personæ. Si enim essent naturæ cum suis proprietatibus seorsum positæ, utriusque esset totalitas, quam requirit ratio personæ; non est autem nisi una totalitas, quando conjunguntur; & ideo est una persona.

Ad quartum dicendum, quod ea quæ differunt genere, vel specie, differunt numero essentiali, vel naturæ; non autem oportet quod differant numero suppositi, vel subjecti: quia ea quæ secundum se considerata diversorum sunt generum, vel specierum, in unum suppositum, vel subjectum congregari possunt; sicut caro, & os ad constituendum corpus; & albedo, & longitudo in eodem subjecto sunt: & similiter quamvis divina natura, & humana differant plus quam specie, vel genere, in unam tamen personam uniri possunt.

Ad quintum dicendum, quod, sicut dicit Boetius (Lib. III. in Porphy. cap. de specie) species est totum esse individuorum, & etiam genus aliquo modo, ut dicit Avicenna, secundum quod indistincte significat totum: & quia natura humana non comprehendit totum esse Christi, ideo non habet in Christo naturam speciei: & ideo non sequitur quod in Christo sint diversæ species. Vel dicendum, quod illud Philosophi est intelligendum, quando naturæ diversorum generum non conjunguntur: accidens enim, & subjectum, quia conjunguntur (quamvis sint diversa genere) non faciunt numerum.

Ad sextum dicendum, quod forma adunatur materiæ informando eam; & ideo oportet quod ad diversas formas diversæ sint materiæ dispositæ: sed ad rationem personæ requiritur tantum adunatio quæ potest esse etiam quantumcumque diversorum: & ideo non oportet quod diversæ naturæ habeant diversas personas.

## QUÆSTIO II.

Deinde quæritur de assumente: & circa hoc quærentur tria.

Primo. Utrum assumere conveniat divinæ personæ.

Secundo. Utrum naturæ.

Tertio. Utrum naturæ, remota persona.

### ARTICULUS I.

*Utrum assumere conveniat divinæ personæ.*

*III. P. quæst. 111. art. 1.*

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod personæ non conveniat assumere. Sicut enim dictum est, persona significat aliquid comple-

tum & totum. Sed ultima completionem completo non potest fieri additio. Ergo persona non potest ad se aliquid assumere.

2. Præterea. Quod assumitur ad participationem alicujus, aliquo modo communicat illud. Sed de ratione personæ est omnimoda incommunicabilitas. Ergo non potest persona assumere ad se aliquid in participationem sui.

3. Præterea. Persona, in quantum supponitur naturæ, habet aliquam similitudinem materiæ, sicut natura habet similitudinem formæ. Sed magis elongatur à perfectione materiæ quam forma, quæ est pars rei. Si ergo natura divina propter sui perfectionem non potest esse forma alicujus rei, multo minus persona divina poterit esse persona alicujus alterius naturæ. Ergo non potest persona naturam assumere.

4. Præterea. Plus repugnat simplicitati diversitas naturæ, & personæ, quam diversitas subjecti, & accidentis: quia in substantiis simplicibus creatis non differt secundum Avicennam persona à natura secundum rem, quamvis in eis differat accidens à substantia. Sed persona divina Verbi non potest distinguí propter suam simplicitatem proprietate quæ non sit quod ipsa, nec potest esse subjectum alicujus accidentis. Ergo multo minus potest esse suppositum extraneæ naturæ.

Sed contra. Joan. 1. 14. *Verbum caro factum est*; id est homo factus est. Sed non nisi per assumptionem. Cum ergo Verbum sit nomen personale, oportet dicere quod persona assumat.

Præterea. Assumptio terminatur ad unionem. Unio autem in persona est, ut probatum est in solutione articuli præcedentis. Ergo persona assumens est; cum assumptio, ut dictum est, dicat terminum in quo fit unio.

### SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est, persona requirit completionem. In conjunctione autem aliquorum aliquando ita est quod utrumque incompletum est, sicut patet in unione materiæ, & formæ, quorum utrumque non habet esse completum, & in mixtione quando utrumque mixtorum partim corrumpitur: unde in talibus hæc completio quam requirit persona, neutri debetur, sed composito. Aliquando autem unum præexistit in se completum, & aliud additur ei, & completur per completionem ejus, sicut cibus qui adjungitur homini jam completo: unde completio personalis non debetur cibo; sed homini: & hoc proprie dicitur assumi quod sic in personalitatem alterius trahitur. Cum igitur divina natura, & humana, quæ conjunguntur, non se habeant æqualiter ad perfectionem; sed divina natura completionem habeat personalem, in quo differt à forma, & in ea incorrupta permaneat, in quo differt ab his quæ miscentur; oportet, si debeat fieri conjunctio, quod humana natura trahatur ad divinam personam virtute divina: alias essent duæ personæ, & nulla conjunctio. Et ita concedendum est, quod persona assumit.

Ad primum ergo dicendum, quod persona non recipit additionem distinguentium ipsam, & completum in esse personæ, secundum quæ completa esse dicitur; sed aliorum quæ personalitatem non causant, non est inconveniens ut additionem recipiat; sicut sortes recipit additionem scientiæ, nutrimenti, & hujusmodi; & tamen hæc non individuant ip-

ipsum. Ita etiam natura humana quæ additur divinæ personæ, non causat personalitatem in ipsa, sed ad personalitatem ejus præexistentem trahitur.

Ad secundum dicendum, quod triplex incommunicabilitas est de ratione personæ; scilicet partis, secundum quod est completum; & universalis, secundum quod est subsistens; & assumptibilis, secundum quod id quod assumitur, transit in personalitatem alterius, & non habet personalitatem propriam. Non est autem contra rationem personæ incommunicabilitas assumptibilis.

Ad tertium dicendum, quod persona divina non supponitur humanæ naturæ quasi sub ea posita, sicut materia sub forma; sed quasi subsistens in ea, in quantum habet eam sibi unitam: unde non habet similitudinem materiæ.

Ad quartum dicendum, quod subjectum subijcitur accidenti; quod divinæ personæ convenire non potest, cum non habeat aliquid potentialitatis; sed non dicitur supponi humanæ naturæ, quasi ei subijciatur, ut dictum est.

### ARTICULUS II.

*Utrum assumere conveniat naturæ.*

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod naturæ non conveniat assumere. Quod enim convenit naturæ divinæ, commune est tribus personis. Sed assumere non convenit Patri, & Spiritui Sancto. Ergo nec divinæ naturæ.

2. Præterea. Actus personales non dicuntur de naturæ, sicut generare, ut dictum est v. dist. I. Lib. Sed assumere proprie convenit personæ. Ergo naturæ non assumit.

3. Præterea. Verbum, secundum hoc quod carnem assumpsit, dicitur caro factum. Sed natura divina non dicitur caro facta. Ergo natura divina non assumit.

4. Præterea. Ratione assumptionis fit communicatio idiomatum, ut dicit Damascenus. Sed ea quæ sunt naturæ humanæ, non dicuntur de divina: non enim dicitur passa, vel mortua. Ergo ejus non est assumere.

5. Præterea. Assumere est ad se sumere. Sed divina natura non traxit naturam humanam ad se: quia non est unio facta in natura divina. Ergo divina natura non potest dici assumere.

Sed contra sunt auctoritates quæ jacent in littera.

Præterea. In Christo quicquid est unitum, potest dici assumens, vel assumptum. Sed divina natura est unita humanæ. Ergo, cum non sit assumpta, debet dici assumens.

### SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod assumere dicitur tripliciter. Uno modo communiter pro sumere; & sic tota Trinitas assumpsit humanam naturam Filio. Secundo dicitur proprie, quasi ad se sumere, ut sibi quocumque modo uniat; & hoc modo natura divina in persona Filii assumpsit humanam naturam. Tertio dicitur proprissime, quasi ad se, & in se sumere; & sic convenit tantum personæ, in qua facta est unio.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc verum est de his quæ conveniunt naturæ secundum se, &

(1) *Al. nuda in contemplatione.*

non ratione personæ hujus, vel illius, sicut assumere.

Ad secundum dicendum, quod assumere tertio modo dictum, est proprium personæ; & sic non convenit naturæ.

Ad tertium dicendum, quod natura divina assumit humanam, & unitur ei; non tamen in nomine naturæ importatur suppositum, sicut in hoc nomine *Deus*, vel *Verbum*: & ideo dicitur *Deus*, vel *Verbum*, caro, id est homo, factum, non per transmutationem naturæ, sed per unionem in supposito; non autem potest dici de natura divina.

Ad quartum dicendum, quod communicatio idiomatum fit ratione unionis in supposito: & quia suppositum non importatur nomine naturæ, sicut hoc nomine *Deus*, vel *Filius*; ideo non potest dici natura passa, sicut *Deus* passus: dicitur tamen natura incarnata: quia per hoc non importatur aliqua proprietates humanæ naturæ, sed sola unio ad ipsam.

Ad quintum dicendum, quod natura divina sumit humanam ad se, id est ut sibi uniat; non tamen ut in se unio fiat.

### ARTICULUS III.

*Utrum conveniat naturæ, remotis personis.*

*III. P. quæst. 111. art. 3.*

1. **A**D tertium sic proceditur. Videtur quod natura circumscriptis personis assumere non possit. Natura enim sine suppositis est (1) in nuda contemplatione tantum. Sed quod est tantum in contemplatione, non habet esse; & quod non est, non agit. Ergo natura sine personis assumere non potest.

2. Præterea. Secundum Philosophum (in prologo Metaph.) actiones sunt individuorum, sive suppositorum. Sed assumere est actio quædam. Cum igitur supposita divinæ naturæ sint ipsæ personæ, videtur quod natura sine personis assumere non possit.

3. Præterea. Filius ex hoc quod assumit, dicitur mitti. Sed si non essent personæ distinctæ, non remaneret ratio missionis: quia mittitur qui ab alio est, secundum Augustinum (IV. de Trinit. cap. xxx.) Ergo sine personis distinctis non posset esse assumptio.

4. Præterea. Assumptio oportet quod terminetur ad aliquam unionem. Sed circumscriptis personis non remaneret in quo fieret unio: quia in natura non potest fieri. Ergo natura non potest sine personis assumere.

Sed contra. Angelus Luc. 1. probavit incarnationem per Dei omnipotentiam: quia non est impossibile apud Deum omne verbum. Sed circumscriptis personis adhuc in essentia remaneret omnipotentia. Ergo adhuc in essentia poterat fieri assumptio.

Præterea. Damascenus dicit in principio tertii Libri, quod propter philanthropiam, id est amorem hominum, Filius Dei naturam accepit. Sed circumscriptis personis adhuc conveniret Deo suam creaturam diligere. Ergo adhuc poterit esse assumptio.

### SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circumscriptio personæ à natura divina potest dupliciter intelligi. Uno modo

modo quod circumsciberetur omnis ratio personalitatis; & sic ipsa natura neque erit subsistens in se, neque erit in aliquo subsistente; & sic non habebit esse in re, sed in intellectu; & sic non conveniet ei neque assumere neque aliquid agere. Alio modo potest intelligi quod circumsciberentur personae distinctae quas fides ponit. Eis autem circumscriptis adhuc remaneret divina natura subsistens; sicut Deum intelligunt qui non habent fidem Trinitatis sine hoc quod intelligant ibi Patrem, vel Filium, vel Spiritum Sanctum: unde adhuc remanebit ibi personalitas aliqua: & secundum hoc quaestio procedit de circumscriptione personarum distinctarum, quas fides supponit: & hoc modo dicendum, quod circumscriptis personis adhuc divinae naturae conveniet assumere.

Ad primum ergo, secundum, & quartum patet solutio: quia procedunt secundum primum intellectum.

Ad tertium dicendum, quod missio non est de necessitate incarnationis simpliciter, sed de necessitate incarnationis Filii: unde supra distinct. 1. Magister dicit, quod Pater potuit incarnari, qui tamen non potest mitti.

## QUAESTIO III.

Deinde quaeritur de assumpto: & circa hoc quaeruntur tria.

Primo. Utrum natura humana sit assumpta.

Secundo. Utrum anima sit persona.

Tertio. Utrum persona hominis sit assumpta.

## ARTICULUS I.

*Utrum humana natura sit assumpta.*

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod humana natura non sit assumpta. Quia secundum Boetium (in Lib. de duab. natur.) natura, prout hic loquimur de ea, est unumquodque informans specifica differentia. Sed differentia specifica est naturam nudam significans: non enim significat eam ut in aliquo. Cum ergo secundum Damascenum (Lib. III. de Fide orth. cap. XI.) non assumpserit Deus naturam quae (1) in nuda est contemplatione, videtur quod non assumpsit naturam.

2. Praeterea. Quod assumitur, oportet praexistere. Sed humana natura non praexistit unioni: quia simul fuit caro, & Dei Verbi caro. Ergo natura non assumitur.

3. Praeterea. Natura est idem quod essentia. Sed non potest dici, quod essentiam assumpserit: quia essentia dicitur ab essendo; esse autem personae est, quam non assumpsit. Ergo nec naturam assumpsit.

4. Praeterea. Natura humana est ipsa humanitas. Sed humanitas non potest esse sine homine. Cum igitur id quod assumptum est, non fuerit homo, ut dicitur in littera, videtur quod nec humanitas, & ita nec humana natura.

5. Praeterea. Assumptio terminatur ad unionem. Sed humana natura non est unita: quia uniens est unitum; natura autem humana non est Filius Dei. Ergo natura humana non est assumpta.

Sed contra. Augustinus (Fulgentius) in Lib. de Fide ad Petrum (cap. XVII.) *Deus humanam naturam in unitatem personae accepit.*

Praeterea. Deus per assumptionem fit homo. Sed

(1) *Al.* nuda est in contemplatione.

non est homo in quo non sit humana natura. Ergo Deus humanam naturam assumpsit.

Praeterea. Phillip. 11. 7. *Formam servi accipiens, id est naturam.*

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod quicumque confiteatur incarnationem, ponit humanam naturam assumptam: & quamvis secundum omnes modos quibus dicitur natura, superius posita, possit dici natura assumpta, non oportet discurre per singula, cum naturam omnes intelligant qui dicunt naturam humanam assumptam, secundum quod natura significat quidditatem.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut genus est quaedam intentio quam intellectus ponit circa formam intellectam, ita etiam differentia, & omnia quae significant secundas intentiones. Tamen huic intentioni intellectae respondet natura quaedam quae est in particularibus, quamvis secundum quod est in particularibus, non habeat rationem generis, vel speciei. Secundum hoc dico, quod Boetius non intendit dicere, quod differentia secundum quod accidit ei intentio differentiae, sit natura, sed quantum ad id quod est in re ipsa, scilicet quidditas rei quam differentia complet.

Ad secundum dicendum, quod quamvis non praexistat tempore, praexistit tamen secundum modum intelligendi; & hoc sufficit.

Ad tertium dicendum, quod essentia non habet se ad esse sicut consequens ipsum, sed sicut id per quod est esse, sicut & natura: unde similiter concedo quod assumpsit essentiam, sicut assumpsit naturam, quamvis non assumpserit suppositum.

Ad quartum dicendum, quod quamvis humanitas non sit sine homine, tamen est prius naturaliter quam homo, quia per eam dicitur aliquis esse homo: unde est eadem ratio sicut de essentia.

Ad quintum dicendum, quod quamvis natura humana non sit unita, id est facta unum simpliciter, cum divina; est tamen ei unita in aliquo, id est in persona.

## ARTICULUS II.

*Utrum anima separata sit persona.*

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod anima separata sit persona. Persona enim secundum Boetium (loc. cit.) est rationalis naturae individua substantia. Sed hoc convenit animae separatae. Ergo est persona.

2. Praeterea. Propter quod unumquodque tale, & illud magis. Sed homo dicitur persona propter animam: unde quae carent anima, non dicuntur personae. Ergo anima separata est persona.

3. Praeterea. Conceditur quod anima rationalis est hoc aliquid. Sed hoc aliquid in natura rationali est persona. Ergo anima separata est persona.

4. Praeterea. Angelus, & anima separata non videntur differre nisi per hoc quod anima est unibilis. Sed unibilitas non impedit rationem personae. Ergo cum Angelus sit persona, etiam anima separata erit persona. Probatio mediae. Id quod potest fieri per divinam virtutem, non immutat aliquid de ratione rei; sicut quod Deus possit assumere aliquem hominem, ut Petrum, non aufert Petro rationem personalitatis. Sed anima separata non potest uniri corpori nisi per resurrectionem, quae non erit natura-

ra-

## ARTICULUS III.

*Utrum persona sit assumpta.*

## III. P. quaest. IV. art. 2.

1. **A**D tertium sic proceditur. Videtur quod persona hominis sit assumpta. Damascenus enim dicit (Lib. III. de Fide cap. XI.) quod Deus assumpsit humanam naturam in atomo, id est in individuo. Sed humana natura in individuo, est natura in persona. Ergo assumpsit naturam in persona.

2. Praeterea. Christus non est similis matri, nisi in hoc quod accepit à matre. Sed est similis matri quantum ad personam: unde dicit Cassianus in Lib. contra Nestorium, quod Christus propter personarum diversitatem reddidit utrique parenti similitudinem, scilicet patri, & matri. Ergo assumpsit personam.

3. Praeterea. Ponatur quod Christus deponat hoc quod assumpsit: constat quod Jesus erit quidam homo, & persona. Sed ex separatione nihil acquisitum est ei quod prius non haberet; nec habuit aliquid ex parte humanitatis nisi assumptum. Ergo assumpsit personam.

4. Praeterea. Non consumitur nisi quod est. Sed dicit (1) Innocentius quartus in Decretali, quod persona consumpsit personam. Ergo natura humana habuit personalitatem propriam. Sed non ante assumptionem, quia non fuit ante. Ergo in ipsa assumptione habuit personalitatem propriam: ergo persona fuit assumpta.

Sed contra. Augustinus (Fulgentius Lib. de Fide ad Petrum cap. XVII.) dicit, quod Verbum non accepit personam hominis, sed naturam.

Praeterea. Quod assumitur, aliquo modo unitur. Sed persona non unitur personae: quia sic essent duae personae, quod esse non potest, ut supra dictum est (quaest. 1. art. 3.) vel una composita ex duabus, quod etiam est impossibile, cum persona pars esse non possit. Ergo persona non est assumpta.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (quaest. 1. art. 1. quaest. 3.) assumens non est assumptum: unde si persona Dei assumpsisset personam hominis, persona Dei non esset persona hominis; & sic essent duae personae, quod est haereticum: unde non conceditur quod persona sit assumpta: & etiam quod assumitur, trahitur ad aliquid completius, ipsum incompletum existens, ut patet ex praedictis: & hoc est contra rationem personae, quae maximam completionem importat.

Ad primum ergo dicendum, quod humana natura non praexistit ante unionem; sed postquam unita est, fuit in atomo, vel persona Verbi.

Ad secundum dicendum, quod hoc quod dicitur propter personarum diversitatem, non est referendum ad Christum, sed ad parentes: quia diversa sunt persona patris, & matris eius.

Ad tertium dicendum, quod separatio dat utrique partium totalitatem, & in continuis dat etiam utrique esse in actu: unde supposito quod hominem

ralis, sed per divinam virtutem tantum. Ergo anima propter unibilitatem rationem personae non amittit.

5. Praeterea. Sola unibilitas qua aliquid potest uniri nobiliori, tollit rationem personae: alias Verbum non haberet ab aeterno rationem personae. Sed unibilitas quae est in anima separata, non est respectu alicujus dignioris, immo minus nobilis. Ergo propter hoc non perdit rationem personae.

Sed contra. Nulla forma est persona. Sed anima est forma. Ergo non est persona.

Praeterea. Persona habet rationem completi, & totius. Sed anima est pars. Ergo anima non habet rationem personae.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod de unione animae ad corpus apud antiquos duplex fuit opinio.

Una quod anima unitur corpori sicut ens completum enti completo, ut esset in corpore sicut nauta in navi: unde, sicut dicit Gregorius Nissenus (Lib. de homine cap. 1.) Plato posuit quod homo non est aliquid constitutum ex corpore, & anima, sed est anima corpore induta: & secundum hoc tota personalitas hominis consisteret in anima, adeo quod anima separata posset dici homo vere, ut dicit Hugo de S. Victore (Lib. II. de Sac. part. 11. c. XI.) & secundum hanc opinionem esset verum quod Magister dicit, quod anima est persona quando est separata. Sed haec opinio non potest stare: quia sic corpus animae accidentaliter adveniret: unde hoc nomen homo, de cuius intellectu est anima, & corpus, non significaret unum per se, sed per accidens, & ita non esset in genere substantiae.

Alia est opinio Aristotelis (II. de Anima cap. 11.) quam omnes moderni sequuntur, quod anima unitur corpori sicut forma materiae: unde anima est pars humanae naturae, & non natura quaedam per se: & quia ratio partis contrariatur rationi personae, ut dictum est, ideo anima separata non potest dici persona: quia quamvis separata non sit pars actu, tamen habet naturam ut sit pars.

Ad primum ergo dicendum, quod anima separata, proprie loquendo, non est substantia alicujus naturae, sed est pars naturae.

Ad secundum dicendum, quod non tantum ab anima habet homo quod sit persona, sed ex ea, & corpore; cum ex utrisque subsistat.

Ad tertium dicendum, quod anima rationalis dicitur hoc aliquid per modum quo esse subsistens est hoc aliquid, etiam si habeat naturam partis, sed ad rationem personae exigitur ulterius quod sit totum, & completum.

Ad quartum dicendum, quod quamvis unio animae separatae ad carnem non possit fieri nisi per virtutem supernaturalem, tamen in ea est naturalis aptitudo ad hoc: & quod non potest unio compleri per virtutem naturalem, est ex defectu corporis, non ex defectu animae.

Ad quintum dicendum, quod quamvis anima sit dignior corpore, tamen unitur ei ut pars totius hominis, quod quodammodo est dignius anima, in quantum est completus.

(1) *Nicolai.* Innocentius III. in quadam Decretali. In notis vero: Ut etiam refertur III. P. quaest. IV. art. 2. & hic in codicibus mss. non sicut prius in impressis, Innocentius IV. etsi nec indicatur locus alterutrius Decretalis, nec ulla ejusmodi occurrit.

deponeret, subsisteret homo ille per se in natura rationali, & ex hoc ipso acciperet rationem personae.

Ad quartum dicendum, quod consumere dicitur proprie destruere quod extitit; & secundum hoc persona consumpsisset personam, si persona Verbi assumpsisset hominem primo existentem. Sed improprie dicitur etiam consumi quod impeditur ne fiat. Et quia persona divina, quae assumpsit humanam naturam, impedit quod natura humana habeat propriam personalitatem; ideo dicitur consumpsisse personam, quamvis improprie: unde non est ex hoc ostendendum.

## EXPOSITIO TEXTUS.

**N**EC Divinitas (inquit) Christi aliena est à natura Patris, nec humanitas à natura matris. Contra. Christus communicat cum Patre in una natura numero, cum matre vero non. Ergo non est recta similitudo. Dicendum, quod non oportet quod sit similitudo quantum ad omnia, sed sufficit quod sit quantum ad aliquid.

Cum (inquit) de Christo audis, quia in forma Dei erat, oportet agnoscere firmissime tenere, in illo forma nomine naturalem plenitudinem debere intelligi. Sciendum, quod natura divina dicitur forma, non quod sit actus alicujus naturae, sed quia non habet partem sui (2) naturam, nec aliquid potentialitatis in ipsa est. Natura vero humana dicitur forma, non quia comprehendit principia tantum formalia (comprehendit enim & formam, & materiam) sed per modum quo quidditas compositi dicitur forma totius.

Solum Verbum carnem Trinitas fecit. Pars ponitur

## DISTINCTIO VI.

De intelligentia harum locutionum, scilicet Deus factus est homo, Deus est homo: an his locutionibus dicatur Deus factus esse aliquid, vel non.

**E**X praemissis autem emergit questio plurimum continens utilitatis, sed nimium difficultatis, atque perplexitatis. Cum enim constet ex praedictis, & aliis pluribus testimoniis, omnesque catholici unanimiter fateantur, Deum esse factum hominem, & Jesum Christum Deum verum esse, & verum hominem; quaeritur an his locutionibus: „Deus factus est homo: Filius Dei factus est filius hominis: Deus est homo, & homo est Deus:“ dicatur Deus factus esse aliquid, vel esse aliquid; vel aliquid dicatur esse Deus: & an ita conveniat dici: „Homo factus est Deus: & Filius hominis factus est Filius Dei:“ sicut è converso dicitur: & si ex his locutionibus non dicitur Deus factus esse aliquid, vel esse aliquid; quae sit intelligentia harum locutionum, & similitum. In hujus profunditatis reseratione, & scrupulosae quaestionis expositione plurimum differre inveniuntur sapientes.

Quorundam sententiam refert.

**A**lii enim dicunt; in ipsa Verbi incarnatione hominem quemdam ex anima rationali, & humana carne constitutum, ex quibus duobus omnis verus homo constituitur, & ille homo cepit esse Deus (non quidem natura Dei, sed persona Verbi) & Deus cepit esse homo ille. Concedunt etiam, hominem illum assumptum à Verbo, & unitum Verbo; & tamen esse Verbum. Et ea ratione tradunt dictum esse, Deum factum hominem, vel esse hominem: quia Deus factus est, id est cepit esse quaedam substantia ex anima rationali, & humana carne subsistens; & illa substantia facta est, id est cepit esse Deus; non tamen demigratione naturae in naturam; sed utriusque naturae servata proprietate factum est ut Deus esset illa substantia, & illa substantia esset Deus: unde vere dicitur: Deus factus est homo, & homo factus est Deus, & Deus est homo, (2) & homo Deus, & Filius Dei Filius hominis, & è converso. Cumque dicant illum hominem ex anima rationali, & humana carne subsistere, non tamen fatentur ex duobus naturis esse compositum, divina scilicet, & humana; nec illius partes esse duas naturas, sed animam tantum, & carnem.

(1) Forte materiam. (2) Al. additur Deus.

Auctoritates ponuntur, quibus suam muniunt sententiam.

**E**T ne de suo sensu tantum loqui putentur, hanc sententiam pluribus muniunt testimoniis. Ait enim Augustinus in Lib. XIII. de Trinit. (cap. XIX.) (3) „Cum lego, Verbum caro factum est, in Verbo intelligo Dei Filium verum, in carne agnosco verum Filium hominis, & utrumque simul (4) in una persona Dei, & hominis ineffabili gratiae largitate conjunctum.“ Item in Enchir. (cap. XXXVIII.) „Christus Jesus, Deus de Deo est; homo autem natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: utraque substantia, divina scilicet, & humana, Filius est unicus Dei Patris omnipotentis, de quo procedit Spiritus Sanctus: utrumque unus; sed aliud propter Verbum, & aliud propter hominem: nec duo filii Deus, & homo: sed unus Dei Filius: Deus sine initio, homo à certo initio.“ Item in eodem (Lib. cap. XXXV.) „Quid natura humana in Christo homine meruit, ut in unitatem personae unicus Filii Dei singulariter assumpta esset? Quae bona opera praecesserunt, quibus mereretur iste homo fieri una persona, cum Deo? Numquid antea fuit homo, & hoc ei singulare beneficium praestitum est ut singulariter promeretur Deum? Nempe ex quo homo esse cepit, non aliud cepit esse homo quam Dei Filius; & hic unicus, & propterea Dei Verbum, (5) quod illo suscepto caro factum est, utique Deus: ut quae una persona est qualibet homo, anima scilicet rationalis, & caro; ita sit Christus una persona, Verbum, & homo.“ Idem super Joan. (cap. XVIII.) „Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet, quae aequalis est Patri, & humanam, quae minor est Patre. Utrumque autem simul, non duo, sed unus est Christus, ne sit quaternitas, non trinitas Deus: ac per hoc Christus est Deus, à Verbo Patri coaeterno in unitatem personae assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod ejus bonum praecessit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Faciente, ac suscipiente Deo Verbo; ipse homo ex quo esse cepit. Item (ibid.) Homo quicumque ita gratia fit Christianus, sicut gratia homo ille ab initio factus est Christus. Idem in Lib. XIII. de Trinit. (cap. XVI.) Gratia Dei nobis in homine Christo commendatur: quia nec ipse, ut tanta unitate Deo (6) Verbo conjunctus, una cum illo persona Filius Dei fieret, ullis est praecedentibus meritis assecutus; sed ex quo homo esse cepit, ex illo est & Deus: unde dictum est (Joan. 1. 4.) Verbum caro factum est. Hilarius quoque in Lib. X. de Trinit. (post med.) Christum non ambigimus esse Deum Verbum; neque rursus filium hominis ex anima, & corpore constituisse ignoramus. „His, aliisque auctoritatibus utuntur qui hominem quemdam ex anima rationali, & carne compositum Deum factum dicunt; sed gratia, non natura. Sola enim gratia habuit ille homo, non meritis, vel natura, ut esset Deus, sive Filius Dei: ut haberet omnem scientiam, & potestatem quam habet Verbum, cum quo est una persona. Nec tantum in superioribus legitur, quod homo ille sit una persona cum Verbo, & sit ipsum Verbum, sed etiam quod anima rationalis, & caro eadem persona sit, & Christus sit, & Deus.“

Aliorum sententia.

**S**unt autem & alii qui istis in parte consentiunt, sed dicunt hominem illum non ex anima rationali, & carne tantum, sed ex humana, & divina natura, id est ex tribus (7) substantiis, Divinitate, carne, & anima constare: & hunc Jesum Christum fatentur, & unam personam tantum esse, ante incarnationem solummodo simplicem, sed in incarnatione factam compositam ex Divinitate, & humanitate; nec est ideo alia persona quam prius; sed prius cum esset Dei tantum persona, in incarnatione facta est etiam hominis persona: non autem ut essent duae personae, sed ut una & eadem esset persona Dei & hominis. Persona ergo quae prius erat simplex, & in una tantum natura existens, in duabus, & ex duabus subsistit naturis; & persona quae tantum erat Deus, facta est etiam verus homo subsistens, non tantum ex anima, & carne, sed etiam ex Divinitate: nec tamen persona illa debet dici persona, quamvis dicatur facta persona hominis. Facta est igitur illa persona (ut quibusdam placet) quidam subsistens ex anima, & carne; sed non est facta persona, vel substantia, vel natura: & in quantum est illud subsistens, composita est; in quantum autem Verbum est, simplex est.

Auctoritates etiam ponit quae hanc probant sententiam.

**D**E hoc Augustinus in Lib. Sententiarum Prosperi (a) ait: „Modis omnibus approbare contendimus, sacrificium Ecclesiae duobus constare, ac duobus confici: visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne, & sanguine; sacramento, & re sacramenti, id est corpore Christi; sicut Christi persona constat, & conficitur ex Deo, & homine; cum ipse Christus verus sit Deus, & verus homo: quia omnis res, illarum rerum naturam, & veritatem in se continet ex quibus conficitur. De hoc eodem Joannes Damascenus ait (Lib. III. de Fide orth. cap. v. post princip.) In Domino nostro Jesu Christo duas quidem naturas cognoscimus; unam autem hypostasim ex utrisque compositam. (Et cap. VII.) Incarnatus est igitur Christus, ex Virgine assumens primitias nostrae massae, ut ipsa extiterit in carne hypostasis quae Dei Verbi hypostasis (8) & composita fuerit quae prius simplex III. Sent. Tom. III. K  
(3) Al. Cum legitur. (4) Al. unam personam, Deum & hominem, ineffabili, &c. (5) Al. quia est ab illo suscepta caro, facta est utique Deus. (6) Al. vero. (7) Al. subsistentis. (8) Al. additur facta.  
Ex EDIT. P. NICOL. (a) Sic etiam refertur in Decret. de consecrat. dist. 11. cap. Hoc est; sed inter Sententias Prosperi quas ex Augustino collegit, nihil tale, licet in sent. xxxi. dicat: Sic est veritas Christus, verum Verbum Dei, Deus aequalis Patri, vere caro, verus homo. Quae autem hic notantur, haber Lanfrancus, ex quo & Ivo citat, ut & Algerus, qui ex Prosperi Sententia refert, sicut & hic.

Aucto-